



Est curæ ejusdem ac sollicitudinis, quod in Comitibus postremis, cum Septemviris Imperij Electoribus, qui, præter Bohemiæ Regem, Augustam omnes venerant, de Carolo Nepote in Romanorum Regem eligendo agere cœpit: effecit, ut cum novi exempli res esset, Cæsare nec dum à Pontifice coronato regem eligi, in concilio propositum fuerit, eò inducendum esse Leonem, uti coronam, & alia Imperatoriæ dignitatis insignia, per Legatum conferenda in Germaniam mittat: soluto verò Augustano conventu, Oenipontum profectus mittendis hinc inde legationibus Nepotis successiorem identidem ursit. Et ecce has inter cogitationes dum versaretur, lenta eum febris invasit, quæ uti soli cœlique mutatione, aut ipso itinere discuteretur, secundo amne in Austriam descendit. Welsam oppidum cum venisset, intendi morbum videns substitit, ultimisque sacris ritò perceptis, animam Deo reddidit pridie Idus Januarij, Anno 1519. cum vixisset annos *

propè sexaginta: Imperasset triginta duos. *Gerardus de Roo in Annalibus Austriacis. Author.*

